





STANISLAO
PRIMO
POLONIARUM REGI,
LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCI,

POPULORUM PATRI OPTIMO,

MEDICINÆ PROTECTORI MUNIFICENTISSIMO,

REGII PLANTARUM MEDICINALIUM

HORTI

IN URBE NANCEIANA

RECÈNS FUNDATORI,

ÆGROTANTIUM PAUPERUM IN GRATIAM

CONSILIORUM MEDICORUM INSTITUTORI,

IN ÆTERNUM

REVERENTIÆ ET OBSEQUII

MONUMENTUM.

DICAT, VOVET, CONSECRAT

Humillimus & obsequentissimus Servus & subditus,

JOSEPHUS LALLEMANT,
è Salubri Regis Consilio, nec-non Collegii Regii Nanceiani Socius Honorarius,
Actûs Præses.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimo-nono menſis Aprilis, Anno Domini MDCCLX.

PRÆSIDE

M. JOSEPHO LALLEMANT Equite, è Salubri STANISLAI Primi, Poloniarum Regis, Conſilio, Collegii Regii Medicorum Nanceianorum Socio honorario, in Facultate Medicâ Pariſienſi Chirurgiæ olim Profeſſore deſignato, Doctore Medico.

An, ubi Partus difficilis ac deſperatus, tentanda, etiam in matre vivâ, Sectio uteri Cæſarea?

I

CONCIPERE, Geſtáre, Parere tria ſunt fœminæ à naturâ néceſſariò impoſita. Conceptus facilis, Geſtatio operoſa, Partus dolorum & aleæ plenus. Inter multiplices Partuum ſpecies, unus præ cæteris crudeli apparatu formidandus Partus Cæſareus, à

cæſo Parturientis utero ſic appellatus. (*a*) Vulgò definitur, Operatio illa quâ fœtui nullâ omninò arte per vulvam extrahendo, cæſo matris utero, præbetur exitus. Antiquis olìm in matre vivâ, ut conjicere eſt, intentatus, audaci recentiorum debetur ſolertiæ. Nec ab ipſis etiam huic unanimi voce acclamatum eſt; laudibus eum alii, alii probris exceperunt. Nos verò utrorumque ritè penſitatis rationum momentis, litem juvat uno argumento componere.

Quidquid in deſperatis morborum anguſtiis Medicina tentat, illud poſſibile ſit & neceſſarium ſatis eſt. Hæc duo verè ſunt circumſcripti noſtræ omnium audaciæ fines, quos ultrà vel citrà nequit rectum conſiſtere. His olìm accuratè prævifis, priores Medici, nihil ſibi arduum eſſe meritò confiſi, ac iiſdem auſpicibus per ſcabroſas & nulli calcatas umquàm, ſed permeabiles vias, ad ægrorum utilitatem viriliter molientes, Chirurgiam opimâ illâ ditaverunt Operationum copiâ, quæ totiès morienti ſalutem, Operanti laudem, Artique noſtræ nomen immortale conciliârunt. Sic primo aſpectu immanem, ac eventu tantummodò confirmatam, evellendæ ani Fiſtulæ methodum docuerunt; ſic calculum ex inciſâ veſicâ extrahere aggreſſi ſunt, idque feliciſſimo cum ſucceſſu: ſic tandèm illud omne, etſi inauditum, audactèr tentavère quod fieri poſſe ſpondebat ſedula rei naturæ inquiſitio, & aliundè neceſſariò poſtula-

(*a*) *Auſpicatiùs* (inquit Plinius, Hiſt. Nat. L. 7. C. 9.) *enectâ parente gignuntur; ſicut Scipio Africanus prior natus; primuſque Cæſarum à cæſo matris utero dictus*. Hæc ultima verba magnam inter Authores moverunt diſcordiam. Hæc alii de Scipione, alii de Julio Cæſare volunt eſſe intelligenda. Quidquid ſit, cùm ea quæſtio parum ad Theſim noſtram faciat, illorum me diſputationi nolim immiſcere.

bant summæ morbi angustiæ; sic etiam nos, illorum authoritate ac exemplis freti, statuimus admittendam esse Sectionem uteri Cæsaream, etiamsi plurimorum obtrectationibus notatam, eo tantùm nomine quod sit reverà possibilis, & quandoquè necessaria: quodquidem utrumque ratione & experientiâ comprobandum.

I I.

TRIA sunt in Partu Cæsareo incidenda: Musculi Epigastrici, Peritonæum, ac tandem ipse Uterus; adeoque si quid illius possibilitatem infirmaret, certè vel insignis in his-ce partibus sectionis amplitudo; vel hæmorrhagia necessariò indè oriunda.

Verùm I°. quoad sectionem, ea est longè brevior quàm potest ex inspectu judicari. Sedulò enim annotandum mulieris parturientis abdomen gravidi uteri tumore in omnem sensum ultrà modum dilatari, illudque erupto fœtu, subitò fieri infinitè se ipso minus; proindeque & dictam sectionem eâdem debere proportione decrescere quâ ipsum decrevit abdomen: eamque, si intrà operationem sex pollicum v. g. longitudinem obtinebat, post extractum Cæsarem, revocatis mox in se partibus sectis, vix futuram esse quatuor transversos digitos longam. Numquid ergo insanabile aut inauditum quid abdominis tale vulnus? Hæccine Celsus (*a*) & Ægineta (*b*) cum in reducendo captivo intestino amplian-

(*a*) Si angustius vulnus est quàm intestina commodè refundantur, incidendum est donec satis pateat. A. C. Celsus Lib. 7. Cap. 16.

(*b*) Si igitur parvum fuerit vulnus, ut prolapsum intestinum inflatum non ampliùs reprimi possit, necesse est aut flatum evacuare, aut vulnus

dam volunt epigaſtrii plagam ? Quod autem de Muſculis Epigaſtricis aſſerimus, idem de Peritonæo intelligendum, idem de Utero : imò uterus, utpotè peculiari ac validiori virtute contractili donatus, citiùs adhuc prædictis partibus conſtringitur, fibræque illius ad decurtationem ſponte innixæ eò brevitatis deveniunt, ut ſecundâ à partu horâ, (*c*) is pugni molem vix æmuletur, adeoque vulnus huic inflictum leviſſimi jam ſit momenti. Non itaque adeo pertimeſcenda Uteri, modica quidem, inciſio, cùm præterea totum ipſum uterum (*d*) ſalvâ muliere reſecari & avelli poſſe authoritate & experientiâ confirmetur.

II° Uterus, ut aiunt adverſarii, reticulari vaſorum ubique perreptantium compage inſtructus, per geſtationis ac puerperii tempus imprimis multo ſanguine ad fœtûs nutritionem admodùm turgidus, nullam ſui pati poteſt ſectionem quin larga ſtatim oriatur hæmorragia. Eſto. At verò nonne ſtupenda illa, quam exitioſam tàm iniquè conclamitas, ſanguinis emiſſio naturæ legibus conſentanea eſt; imò puerperæ neceſſaria ? Nonne eâdem fere quantitate cruor, etiam in partu naturali, è vaſis à ſecundinarum avulſione laceratis effluit ? Nonne tandèm luctuoſas mille Tragœdias quotidiè movet ſanguinis illius poſt fœtum expulſum ſuperflui retentio ? Nec forte dixerint

majus efficere..... ſi verò ab horumdem uſu inteſtinum adhuc permanſerit inflatum, tantum de Peritonæo incidere oportet quantùm opus habet id quod prolapſum eſt. P. Ægineta Lib. 6. Cap. 52.

(*c*) Mauriceau. Tom. 1, Cap. 4.

(*d*) Si vero ubi per tempus manſit putrefactum fuerit id quod procidit, (*uterus*) auferetur id citrà omnis periculi formidinem. Nam totum ablatum eſſe uterum putrefactum narrant, & tamen mulierem vixiſſe. P. Ægineta Lib. 3. Cap. 72.

immoderatum hunc ſanguinis fluxum nullâ arte fore compeſcendum. His etiam natura benè provida videtur conſuluiſſe. Quod in partu naturali, idem in Cæſareo accidet: Vaſa uterina mammariis communicantia ſanguine ſuo in mammas ad lactis fabricam, ex naturæ inſtituto, deplebuntur. Vaſorum in Utero ſauciatorum oſcula ſupradictâ contractione conſtringentur, minuentur, occludentur; (*e*) vaſaque magis arcta plus reſiſtent ſanguini hùc deponendo. Tandem vulneris labra eâdem contractione in ſeſe collapſa ſanguinem è reſectis vaſis erumpentem mutuo contactu coercebunt.

His adde 1°. Longè abeſſe à Muſculis incidendis nervos, aponevroſes, tendines, & ſimiles alias partes quæ poſſent ſpaſmi periculum inducere. 2°. Peritonæum, etiamſi nervis ubique intertextum, abſque omni convulſionis metu poſſe vulnerari, cum & in aliis operationibus fœliciter abſcindatur. 3°. Demùm Uterum, in dicto caſu ab omni irritatione plærùmque immunem, tutiùs poſſe incidi, quàm veſicam v. g. quæ in calculoſis, etiamſi calculi præſentiâ, aut urinæ morâ inflammata, quotidiè tamen impunè inciditur. Jam nunc quæ ratiocinio demonſtrata eſt operationis noſtræ poſſibilitas, experientiâ confirmatur.

(*e*) Boerhaave Inſt. Med. N°. 687.

I I I.

NON ſanè in rebus Medicis omni obſervationum generi credendum: nec tamen omnibus planè diffidendum. Non unus eſt, ut fateor, nugivendulus

Agyrta popularis auræ cupidus, qui ſcurriles quotidiè fabulas peregrini mendacii colore fucatas ſtolidæ plebeculæ miraculis ſemper inhianti ſeſquipedalibus verbis declamare audeat; verùm adſunt etiam viri, probitate nec non & ſagacitate graviſſimi, qui, mercatam veritatis pretio inanem gloriolam benè dedignantes, ad publicam utilitatem ſeria conſcripſerunt. Inter illos imprimis omnem mendacii ſuſpicionem videtur effugiſſe Fr. Roſſetus de Partu Cæſareo probatæ fidei narrator. Non ille commentitias & affabrè confictas obſervationes, aut inconcinna delirantium anicularum ſomnia recitaſſe arguendus, (*a*) qui ſecandi artifices, ſectas Matronas, earum viros, domicilia, ſectionum tempus, annum, menſem, diemque ſcrupulosè deſignavit; idque imprimis inter invidos mordacium adverſariorum dentes, quiquidèm, ſi à verò vel tantillùm declinaſſet, mendacem ſanè numquàm deſiiſſent allatrare. At nè Roſſetum ſolum ſectionis Cæſareæ poſſibilitatem exemplis confirmaſſe credideris. Scatent authores, (*b*) iique ſpectatiſſimi, obſervationibus Operationi noſtræ conſonis, quas ſigillatìm enumerare longius foret & tædioſum. Quid plura? Nonne ob oculos habuimus nuper mulierem illam Pariſiis degentem, quam, ob depravatam puſilli corporis conformationem, per vias naturæ dicatas parere nunquàm potuiſſe certum eſt: quam tamèn die Junii 7°. anni 1740. Cæſareâ uteri ſectione, fœtu

(*a*) Roſſetus de Partu Cæſ. pag. 40.

(*b*) Authores qui cum Roſſeto ſectionis Cæſareæ exempla retulerunt, hi ſunt præcipui; Gaſp. Bauhinus. Matthias Cornax. Schenkius. R. P. Theop. Raynaudus Soc. Jeſu Theologus. J. Ruleau Chirurgus Sanctonus. La Motte. Henr. Deventer. Hiſt. Reg. Scien. Acad. ann. 1730, &c.

cum matre ſuperſtite, liberatam fuiſſe nemo neſcit. His omnibus ſatis, ut arbitror, ſtabilita mihi videtur ſectionis noſtræ poſſibilitas, ad illius neceſſitatem citò properamus.

I V.

TOT mulieres trucidatas fuiſſe uſquè dixerim, quot procelloſo jactatas deſperati partûs Oceano, ademptâ ſacrâ ſalutis anchorâ, utero ſcilicet audacter non ſecto, ſorti ſuæ relictas fuiſſe audiero. Nec certè culpandus ille minùs qui inter acutos morientis cruciatus, conſideratâ nimium prudentiâ timidus Tragædiæ ſedet ſpectator otioſus, quam qui, præcipiti confidentia ferox, ac corde, ut ita dicam, ahæneo, ferratis ſempèr manibus languentem præpoſterè fruſtrà cruentaret. Eſt modus in rebus. Aſt ubi ſemèl accuratè deprehenſo Partûs naturalis obice, matrem Operationi ferendæ haud imparem eſſe ritè cognitum eſt; jam ne quem intempeſtivè miſericordem moveant triſtes Lucinam advocantis hululatus, non, irritis conatibus fruſtrà diù exagitatæ, vani dolores, ſed, attentus naturæ miniſter, quod illa renuit exequi munus adimpleat ipſi vicarius, fugienteſque animas, ex Orci faucibus eripere fortitèr aggrediatur. At, inſurget aliquis, ut quid tandèm diſcerptas ſic mulieres lethali cruciatu fruſtrà juvat excarnificari? Nonne adſunt præ manibus unci, forcipes, & alia centum id genus quibus demortuus utero fœtus extrahatur? Bene quidem! At vero quid proderunt tua illa à te tantoperè decantata Partûs difficilis adminicula, ſi fœtus ſit hydrope v. g. ultrà modum tumidus, aut prægrandi capite donatus? Quid ſi gravidæ diſtor-

tis offibus pelvis male conformata ? Si pudendum naturâ fuâ folito arctius, vel annis induratum, & tantæ diftractionis nefcium ? Si tumore interno anguftatum, aut cicatrice conftrictum ? Quo jure vitæ hominum arbiter imprudens, in auras nitentem puerulum, antè ortum mori jubes, ac in ipfo vitæ fonte fepeliri? At tu, qui me tam iniquè carnificem vocas, quo te nomine poffem appellare, fi tibi fortè objicerem tot pueros impiâ cunctatione abfquè facro Baptifmatis lavacro interemptos? Dilaniata tot fœtuum (nonnunquàm vivorum) membra, cum lacero fæpiùs parturientium utero fruftulatìm avulfa? Tot deniquè barbarè extortas mulieres, & de médio improbè cum prole fublatas? Ne te igitur pigeat raram quidem, fed optimam partui defperato, imò quandoque neceffariam medelam agnofcere.

V.

UT tamèn mentem luculentèr apériam, obfervandum me non cuilibet indiftinctè mulieri difficulter parienti Operationem meam imponere. At fi nulla fpes Partûs naturalis affulgeat, idque ex probe cognito ac infuperabili impédimento, fi fit aliundè mulier fat vegeta, nec diuturnâ nimis Partûs expectatione viribus omninò deftituta, jam cunctari ridiculum, artique indecorum. Sic ani Fiftulæ Opératio (*a*) prioribus Médicis ufitatiffima, & à Celfo tàm doctè defcripta, fub finem fæculi proximè elapfi ægrè tantùm ac fufpensâ manu, ex audaciæ ac folertiæ def-

(*a*) *Des Moyens de former de parfaits Chirurgiens.* Oratio Publicè habita anno 1744, in Scholis Medicorum à D. Ferret, hujus Academ. Profeffore.

fectu, tentata est. Cùm igitur audaces juvare Fortuna gestiat, ne nos, nostris patribus cognitionum numero ac doctrinæ sinceritate longè superiores, animo tantùm videamur impares. Ne Sectionem uteri Cæsaream, sæculo 16°. tanto plausu ac successu celebratam, ac in nostrâ ètiàm ætate nupèr quasi ex oblivione redivivam aggredi vereamur. Ne tandem Chirurgiam ad ultimam perfectionis suæ periodum perduxisse gloriemur, nisi inventis eam adhùc magis ac magis quotidiè illustremus. Multa quidèm inventa : multa tamèn invenienda, quin & plura perficienda. Deniquè, ut ad Theseos meæ scopum revertar, maneat altâ mente infixum, inconcussum illud artis nostræ præceptum; nempè in extremis ea semper omnia esse tentanda quæ possibilia sunt & necessaria : adeoquè, cum Sectionem uteri Cæsaream, etiam in matre vivâ, possibilem esse ac necessariam hucusque evictum sit, mecum ultro concludendum,

Ergò ubi Partus difficilis ac desperatus, tentanda, etiam in matre vivâ, Sectio uteri Cæsarea.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Pathiot.

M. Franciscus Bidault.

M. Joannes Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius & domûs Regiæ invalidorum.

M. Ludovicus-Renatus Marteau.

M. Josephus Lallemant, Actûs Præses.

M. Petrus Poissonnier, Scholarum Professor, Professor & Censor Regius, nec non Militarium Regis Nosocomiorum in Alsatiâ Medicus & Inspector Primarius.

M. Ludovicus-Maria Pousse, Eques & Censor Regius.

M. Antonius Casamajor, Censor Regius.

M. Raymundus de la Riviére.



Proponebat Parisiis, CLAUDIUS FRANCISCUS-GASPARDUS HUMBERT, Bisuntinus, Doctor Medicus Bisuntinensis, Saluberrimæ Facultatis Medecinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1760. à sextâ ad meridiem.

Typis LOTTIN, 1760.